

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Theages, vel de sapientia

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

THEAGES, VEL DE SAPIENTIA

DEMODOCVS, SOCRATES. THEAGES.



PVS habebam ô Socrates, quâdam priuatim tecum communicare, si quidem ocium sit: uel etiam negocium, modo non omnino magnum, uelim enim mea causa ocium agas. **SO CR.** Equidem ociosus & alioqui sum, sed tui causa maxime. Si quid ergo dicere uis, licet. **DEM OD.** Vin secedamus hinc in proximam Iouis liberatoris porticum? **SO CR.** Ut lubet. **DEM OD.** Eamus ergo ô Socrates. Omnes quidem plantæ eodem se modo habere uidentur, & quæ e terra nascuntur, animaliaq; omnia, & homines deniq; ipsi. Ut enim in plantis facillimum hoc nobis est qui terram colimus, præparare quidem omnia antequam plantemus, & ipsa etiam plantatio: postquam uero quod plantatum est uiuit, tunc cultus ipsius uariis est & difficilis, sic & in hominibus uidetur. Ex meis enim rebus cætera conijcio. Etenim hæc mihi mei filij siue plantatio, seu generatio appellanda sit, omnium facillima extitit: educatio autem difficilis, & plena timoris semper, maximum metum ipsius causa subeunt fuit. Et alia quidem multa de hoc dici possent: præcipue uero cupiditas quæ huic nunc inest, uehementer me sollicitat. Est enim non ingenerosa, uerum talis, ut fallere possit. Cupit enim ô Socrates, ut ipse ait, sapiens effici. Et ut mihi uidetur, populares quidem eius æquales in urbem uenientes sermonibus suis hunc uehementer incitauerunt, quos æmulari coepit, & mihi iam pridem molestus est, uolens ut eius curam suscipiam, ac pecuniam sophistæ alicui qui ipsum sapientem reddat, persoluam. Mihi uero pecuniarum minor est cura: uerum hunc existimo ob hoc eius studium in periculum non mediocre incursum. Hactenus igitur huic obstiti, consolando: sed ubi diutius nequeo, operæ precium fore duxi ut ei obtemperem, ne sine me frequenter cum alijs uiuens corrumpatur. Nunc autem ad hoc proficiscor, ut eum apud aliquem sophistarum sistam. Tu igitur peropportune nobis ob uiam factus es, quem quidem hac in re mihi consultorem maxime cupiebam. Itaque si quid habes quod mihi in ijs quæ audiuidisti, consulere queas, licet & expedit. **SO C.** Cæterum ô Demodoce, consilium res sacra est: & si unquam ullum aliud, hoc est in primis de quo quæris. Non est enim diuinius aliquid quo de quis consulere queat, quam de institutione sui atque suorum. Primum igitur conueniamus, quidnam hoc esse putemus quo de consultamus, ne sepe numero ego quidem aliud illud existimem, tu item aliud, ac deinde longe dissentiamus, ridiculi quidem existentes ambo, & ego qui do, & tu qui postulas consilium, quum nihil dum consenserimus. **DEM OD.** Recte quidem mihi dicere uideris ô Socrates. Itaq; faciendum censeo. **SO CR.** Recte inquam, non omnino tamen recte: nam paulisper id muto: dubito enim ne forte hic adolescētulus alia quædam quam quæ nos rebamur, cupiat: quod si alia, nos quoque absurdus faciamus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi uidetur, ut initium hinc sumentes, ipsum quid maxime instituat, rogemus. **DEM OD.** Optimum apparet. **SO CR.** Dic igitur mihi, quod pulchrum nomen est puero: quo nomine ipsum uocabimus? **DEM OD.** Theages, ô Socrates. **SO C.** Pulchrum, ô Demodoce, filio nomen imposuisti. Sed tu dic mihi Theages, cupis ne sapiens esse: ac dignum existimas esse, ut pater hic tuus uirum inueniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? **THEA.** Cupio. **SO CR.** Sapientes autem utrum uocas homines scientiam habentes, quæcunq; illa sint quæ scierint, necne? **THEA.** Scientes equidem. **SO C.** Quid igitur, nonne te pater edocuit, quæ hic nobilium uirorum filij docentur? scilicet literas, citharam pulsare, palastram, & alia certamina? **THEA.** Docuit. **SO CR.** Putas præterea te aliqua scientia indigere, de qua curam suscipere tui causa patrem deceat? **THEA.** Puto. **SO CR.** Quæ est igitur ipsa: dic nobis, ut tibi gratificemur. **THEA.** Nouit & hic ô Socrates, quoniam persæpe illi narraui, sed de industria hæc nunc tecum loquitur, quasi nesciat quæ cupiam: hoc enim modo & in alijs multis mecum pugnat, neque uult alicui me tradere. **SO CR.** Atqui quæ hactenus aduersus hunc abs te dicta sunt, testibus carent: nunc autem me adhibe testem, atque coram me denuo recense. Quanam est hæc sapientia quam appetis? Age si cuperes eam qua homines nauigia gubernant, & ego te rogarem, quamam, ô Theages, sapientia indigens, patri succenses, quod te his a quibus sapiens reddi potes, non tradat, quamnam esse responderes, nonne gubernatoriam?

Occasio dicitur
logi est oratio
Demodoci: in quo
dialogo ut
nomine habetur
sapiencie, ita
monstratur per
alia studia quæ
non est, ita ut
non quæ sit, sed
quæ non sit
declaretur.

Prouerbiū
Quid pruenire
oportet eos qui
de re consultare
uelint.

Pulchra nomina
imponenda pueris

THE.

Hic cōcedi-
tur sapiētia
cōditiōalis,
quæ multifa-
riā habetur.
Etsi sapiētia
nomē habe-
at illa quæ
proprie &
simpliciter
est sapiētia,
abijsque nō
proprie sūt
sequestrata,
monstrat

THE. Certe. SOCR. Sin autem illius cuperes eruditum te fieri, qua currus reguntur, ac pa-
tri succenseris, ego uero rogem, quænam ea esset, nonne aurigariam respondeas? THE.
Vtiq. SOCR. Quam igitur nunc cupis? Vtrum illam quidem nosti, nomen autem igno-
ras? uel nomen etiam tenes? THE. Etiam nomen. SOCR. Dic ergo quid est? THE. Quod
aliud nomen huic congruere dicas? SOCR. Nonne etiam auri-
garia, sapientia est? An ignorantia tibi uidetur? THE. Nullo modo. SOCR. An non sapi-
entia? THE. Sapientia. SOCR. Qua ad quid utimur? num qua scimus equorum iuga rege-
re. THE. Profecto. SOCR. At gubernatoria nonne & ipsa sapientia est? THE. Mihi quidem
uidetur. SOCR. Num & ea est qua naues gubernamus? THE. Ea utiq. SOCR. Ea uero quam
nunc optas, quæ nam sapientia est, quid ue ea ministrat? THE. Mihi quidem uidetur ea
qua scimus hominibus imperare. SOCR. Num qua agrotantibus? THE. Minime. SOCR. Ip-
sa enim medicina est, nonne? THE. Est. SOCR. At qua canentibus scimus in choris præesse?
THE. Nequaquam. SOCR. Musica enim est. THE. Ita. SOCR. Sed utrum qua certantibus
præesse? THE. Nequaquam. SOCR. Gymnastica enim est. THE. Est. SOCR. Verum qua quid
facientibus, conare exprimere sic, quemadmodum superiora ego. THE. Mihi plane uide-
tur ea, qua his qui sunt in ciuitate. SOCR. Nonne in ciuitate agroti etiam sunt? THE. Sunt
quidem, sed non istis solum dico, uerum omnibus qui in ciuitate uersantur. SOCR. Intelli-
go quam artem dicis. Videris enim non eam qua præesse nouimus metentibus aut uin-
demiantibus, aut plantantibus, aut serentibus, aut tritulantibus: ipsa enim per quam ijs
imperamus, agricultura est. THE. Est. SOCR. Neq. rursus qua uel secantibus, uel perforan-
tibus, uel polientibus, uel torno aliquid facientibus: nam hæc ad fabros pertinet. THE.
Certe. SOCR. Verum fortasse qua ijs uniuersis, & agricolis, & fabris, & artificibus omni-
bus, ac priuatis cunctis mulieribusq. & uiris imperitamus, eam tu sapientiam dicis. THE.
Istam ipsam o Socrates iam pridem dicere uolebam. SOCR. Potes ne dicere an Ægisthus,
qui Agamemnonem apud Argos interfecit, his omnibus imperauit, quos dixisti, artifici-
bus, priuatis, uiris, mulieribusq. uniuersis, an alijs quibusdam? THE. Non alijs, sed ijs om-
nibus. SOCR. Quid autem Peleus Æaci filius in Phthia, nonne iisdem dominatus est?
THE. Eisdem. SOCR. Periandrum uero Cypseli nonne audisti apud Corinthios imperas-
se? THE. Equidem. SOCR. Nonne eisdem in ciuitate sua dominatus est? THE. Certe.
SOCR. Quid uero Archelaum Perdicæ nuper in Macedonia imperantem, num iisdem
existimas dominatum? THE. Equidem. SOCR. Hippiam autem Pisistrati in hac urbe domi-
nantem, quibusnam præuisse arbitraris? nonne iisdem? THE. Quid ni? SOCR. Bacis ue-
ro, & Sibylla, & nostras Amphilytus, quonam pacto tibi cognominandi uiderentur?
THE. Non alio quam uatum nomine. SOCR. Recte dicis, eodem modo conare ut inue-
nias quo cognomine Hippiam & Periandrum propter eundem principatum nomines.
THE. Qui uocem quam tyrannos? SOCR. Ergo quicumq. cupit more istorum uniuersis
suis ciuibus imperare tyrannidem appetit, & esse tyrannus studet. THE. Ita uidetur.
SOCR. Hanc tu optas? THE. Videtur ex ijs quæ dixi. SOCR. Scelestè, more tyranni no-
bis præesse cupis? Ac iam dudum succenses patri, qui te ad aliquem tyrannidis præcepto-
rem non mittit? Et te Demodoce non pudet, qui dudum noris quid hic concupiscat? &
si habuisses quod ipsum mitteres, artificem sapientia illius quam petit, fecisses? post ades-
ses, cupiuissesq. nunquam missum? sed nunc uides. Cum uero te coram accusauerit, con-
sultemus simul ego & tu, est ne quod mittamus, ut alicuius consuetudine sapiens tyrannus
efficiatur? DEMO. Per Iouem o Socrates, consultemus. Est enim ut mihi uidetur, consi-
lio opus, & maximo. SOCR. Sine bone uir, interrogemus ipsum prius. DEMO. Interro-
ga. SOCR. Quid si Euripide ad aliquid utamur o Theages? Inquit enim ille, Sapiunt ty-
ranni sapientum consuetudine. Si quis Euripidem roget, qua in re sapientum consuetu-
dine ais sapere tyrannos? quemadmodum si cum dixisset, sapientes agricolæ sunt sapien-
tum consuetudine, percontaremur, quanã in re sapientum, quid putas ipsum dicturum? an
aliud quam in re rustica? THE. Nihil aliud. SOCR. Eodem modo si dixisset, sapientes coci
sapientum consuetudine, nosq. rogaremus, quanam in re sapientum, quid aliud respon-
deret, quam coquinaria? THE. Id ipsum. SOCR. Quid si dixisset sapientes athletæ sapiētum
consuetudine, & nos in quo sapientū interrogemus, nonne certando responderet? THE.
Imò, SOCR. Et quia dixit, Sapientes tyranni sapientum consuetudine, si rogaremus illum,
quæ

qua in re o Euri pides sapientum, quid cum responsurum putas? THE. Per Iouem nescio: SOC. Vistibi dicam? THE. Vt lubet. SOC. Hæc sunt quæ ait Anacreo ipsam Callicretem nosse. Audisti carmen? THE. Audiui. SOC. Quid igitur, huiusmodi ne uiri consuetudinem cupis, qui eam artem tenent, quam tenebat Callicretes Cyane nata, quiq; sciret tyrannica quæ Callicretem nouisse poeta inquit, ut & in nos & ciuitatem tyrannidem exerceas? THEAG. Iamdudum me mordes Socrates atque irrides. SOC. Quamobrem? nonne ais hanc te sapientiam optare, qua cunctis imperes? Atqui hæc faciens aliud ne quam tyrannus sis? THE. Optarim quidem uel omnium hominum, uel quamplurimorum tyrannide potiri, quod idem de te ac cæteris omnibus persuadeo mihi, aut etiam deus esse. Veruntamen non hoc appetere dicebam. SOC. Quid tandem est hoc quod cupis? nonne ciuibus præesse? THE. Non uis quidem, neque ut tyranni, sed uolentibus, quemadmodum alij in ciuitate rationis compotes homines. SOC. Dicis ergo qualis Themistocles fuit, & Pericles, & Cimo, & quicumque alij in administratione reipublicæ floruerunt? THE. Per Iouem istos inquam. SOC. Quid uero si nobilis eques esse studeas, & in ea arte sapiens, ad quosnam alios accederes quam ad equites? THE. Ad nullos alios. SOC. Quippe ad hos ipsos qui equestri arte pollent, & qui equis tum nostratibus, tum alienis quamplurimis utuntur. THE. Scilicet. SOC. Eodemq; modo si sapienter iaculandi artem adipisci cupias, ad eos qui optime iaculantur, & qui multis tam alienis quam proprijs utuntur spiculis proficisceris. THEA. Mihi quidem uidetur. SOC. Age itaq; postquam in ciuilibus erudiri uis, ut in ijs sapiens fias, ad alios accedendum putas, quam ad hos ciuiles homines, qui disciplina ciuili summopere ualent, & utuntur ea, tum patria, tum aliarum ciuitatum & Græcarum & barbararum? An putas ab alijs sapientiam earum rerum posse consequi, quas isti soli norunt? THE. Audiui Socrates sermones quosdam, quos tuos asserunt, ciuiliu uirorum liberos nihilo meliores quam cerdonum esse. Et mea quidem sententia uera dicis. In sapiens ergo sim ego, qui de illorum numero esse possum, si mihi persuadeam, aliquem istorum suam mihi sapientiam traditurum, qui quidem suos filios ipsorum minime iuuent, putemq; uel mihi, uel ulli mortalium ad hanc rem posse prodesse. SOC. Quid tu igitur optime hominum agas, si cum tibi filius esset, huiusmodi negocia exhiberet, ostendens cupere in optimum pictorem euadere, succenseatq; tibi quod nullam in se pecuniam eius gratia collocares, sed ipsos pingendi artifices paruipenderet, neque ab eis aliquid uellet discere, tibi cines item tibicen esse uolens, uel etiam citharædos, habes quod cum eo agas, uel quod tandem illum mitteres, nolentem ab ijs discere? THE. Minime profecto habeo. SOC. Nunc igitur eadem hæc faciens, miraris atque succenses patri, cum dubitat quid tecum agat, & quod te mittat, quem Atheniensium in administranda republica præstantissimorum cuiusque uoluisse commendaturi eramus, qui tecum sine precio uersatus fuisset: simulq; & sumptibus pepercisses, & ab huiusmodi consuetudine plus nominis quaesuisse quam omnium cæterorum. THEA. Quid igitur Socrates, nonne tu ex bonis uiris es? Si me susceperis, fat habeo, neq; alium quæro. SOC. Quid hoc dicis? DEMO. Non male dicit o Socrates, neq; mihi quicquam hoc iocundius utiliusq; ut arbitrator, esse posset, quam si huic tua consuetudo placeat, & si tu cum eo uersari uelis: & profecto pudore impediore dicere quam uehementer affectem. Itaque ambos uos rogatos uelim, & te ut uelis hunc suscipere, & te ne alium quam Socratem quæras, meq; maximis curis & formidine plenis obsecro liberetis, quoniam nunc uehementer timeo, ne hic cuiuspiam alterius consuetudinem quærat à quo deinde perdat. THEA. Ne ulterius mihi timeas mi pater, si huic persuadere potes, ut me suscipiat. DEMO. Recte loqueris, & ad te o Socrates omnis posthac oratio conuertetur. Ego enim ut breuissime loquar, me simul ac mea opera uel charissima quocunq; indigeas, tibi libentissime trado, si hunc Theagem susceperis, eiq; pro uirili tua benefeceris. SOC. Equidem o Demodoce studium hoc tuum non admiror, siquidem existimas maxime à me hunc iuari posse. Non enim uideo ubi maiore diligentia opus sit, si quis mentem modo habeat, quam ut filium optimum reddat. Sed unde tibi hoc ita uisum est, me uidelicet tuum filium meliorem posse ciuem reddere quam tute possis? Atque unde hic sibi persuasit posse magis à me quam abs te ad hanc rem iuari? Id enim uehementer admiror: tu enim primum me senior es, deinde multis

Nulli rei maior diligentia adhibenda q̄ filio infatuendo

ac maximis apud Athenienses functus es magistratibus, neque te magis quisquam a popularibus Anagyruis ac reliquis ciuibus honoratur. In me autem horum quicquam neuter uestrum uidet. Verum si ciuiliu uirorum consuetudines Theages iste contemnit, aliosque querit qui instruere inuentam profitentur, est hic Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, & Polus Agrigentinus, alijque permulti, qui ad eo sapientes sunt, ut cum urbes adeunt, nobilissimos & ditissimos alliciant ad se iuuenes: quibus cum uel optimorum quorumcunque familiaritate gratis uti liceret, eorum assuetudine relicta, persuasi ad illos conferunt se, precium, atque id ingens offerentes ultro, & gratiam insuper maximam habentes. Ex his ergo decebat te ac filium tuum aliquem eligere, me uero ad id elegisse non conuenit. Nullam enim ex istis beatissimis & pulcherrimis disciplinis profiteor, uelim tamen mihi illas esse notas. Verum semper nihil scire me dico praeter exiguam quandam amandi disciplinam, qua uulgo uehementior, tum superioribus, tum etiam praesentibus uiris esse uideor. THE. Vides ne pater Socratem hunc non admodum familiaritatem meam recipere? Nam quod ad me attinet, paratus eram, modo ipse uoluisset: sed haec omnia ille ioco aduersus nos dicit. Noui enim meorum equalium & aliquanto seniorum nonnullos, qui cum antea nullius essent estimationis, postquam familiaritate istius usi sunt, breui omnium supremi eorum euaserunt, quorum infimi prius erant. S O C. Nosti quale hoc sit o Demodoci fili? THE. Noui per Iouem: si uoles enim, talis siam, quales illi fuerunt. S O C. Non ita o optime, sed hoc te fefellit, quale sit: ego autem tibi dicam. Adest mihi diuina quadam forte daemoneum quoddam a prima pueritia me secutum: hoc enim uox est quaedam, quae cum fit, semper eius rei quam facturus sum, dissuasionem innuit, prouocat uero nunquam. Quod si quis amicorum mecum quandoque aliquid communicat, uenitque uox, hoc illa dissuadet, neque facere sinit. Cuius equidem rei uobis testes dabo. Charmidem uirum bonum Glauconis filium noscitis, hic aliquando in Nemea stadio se exercitaturus mecum communicabat. Ac statim ubi dicere inciperet quod se exercitaturus esset, affuit uox: ego prohibui: edicens quemadmodum daemoneum uox extiterat ne se exerceret. Ille uero, Fortasse inquit, significat me uictorem non euasurum: & si uictoria non potiar, tamen me exercens, aliquid proficiam interim puto. Atque ita locutus, in certamen abiit. Opera precium igitur est audire quid ei ex eo certamine contigerit. Iam si uultis & Clitomachum Timarchi fratrem rogare quid ei Timarchus dixerit, cum iam moriturus esset. Is enim & Euthlus quidam cursor, qui illum fugientem suscepit, referet uobis quid ille tunc dixerit. THE. Quidnam? o Clitomache, inquit, equidem quamprimum moriturus uenio, quoniam Socrati obtemperare nolui. Hoc quid ita dixerit Timarchus, ego exponam. Cum enim surrexissent ex conuiuio Timarchus, & Philemon Philemonidis filius, interfecturi Niciam Hircamandri filium, soli enim insidiarum huius consocij fuerant: hic Timarchus, Quid ais o Socrates, inquit. Vos quidem bibite, me uero oportet aliud ire, redibo autem paulo post, si occasio erit. Tum mihi aderat uox. Itaque ne surgas inquam, solitum mihi a daemone signum datum ferens. Quieuit ille. Deinde paulisper commoratus ardebat iterum eundem cupiditate, dicens, eo iam Socrates. Et quia iterum uocem audiui, rursus illum cohibui, donec ille tertio latere me cupiens clanculum, cum ego mentem aliud aduertissem, se subripuit: & sic profectus ea patrauit, quae mortis ei causa fuerunt. Haec eadem ille fratri, quemadmodum nunc ego uobis, dixit, se scilicet moriturum uenire quod mihi credere noluisse. Audietis praeterea ab his qui in Sicilia sunt, quae de exercitus conflictu praedixeram. Et praeterita quidem ab his qui illa nouerunt, audire licet. Experiri uero daemoneum signum siquid forte dicat, etiam nunc possumus. In expeditionem namque exiit Neonus Cali filius. Mihi autem signum adfuit, proficiscitur uero nunc cum Thrasilo aduersus Ephesum & Ioniam militaturus. Ego autem illum existimo uel interfectum iri, uel huiusmodi aliquid incursum, & de reliquo negotio uehementer metuo. Haec omnia ideo tibi dico, quia potestas omnis ad familiaritates cum his qui mecum sunt instituendas penes daemoneum est. Multis enim aduersatur, neque licet his auxilium ferre, qui mecum inuito daemone conuersantur: quare impossibile est mihi cum his uiuere. Multis autem haerere non prohibet, sed consuetudine nostra nihil omnino iuuatur. quibus autem fauerit in ipsa familiaritate potestas daemoneum, illi sunt de quibus illud animaduertisti, breui enim proficiunt. Sed eorum partim hoc beneficium firmum habent atque durabile, plerique uero quoad

Munus so-
phistarum

Daemone
Socratis

quoad mecum sunt, mirifice pollent, at ubi discesserint, rursus nihil à cæteris differunt. Hoc quandoq; accidit Aristidi Lysimachi filio, eius qui filius fuit Aristidis. Nam mecum commorans breui multum profecit; postea uero in militiam profectus est, rediēs deinde offendit apud me agentem Thucydidem Melissi filium: hic aut̄ Thucydides pridie mihi inter disputandum nescio qua de re obiecerat. Cum me salutasset, & quædā insuper collocutus esset Aristides, Thucydidem, inquit, ô Socrates audio gloriari, & in quibusdam tecum etiam cōcertare, tanquam aliquid sit. Est inquam ut dicis. Tum ille, non meminit, inquit, antequam tibi adhæreret, quale fuerit mancipium: Nō uidetur inquam per deos. At ego, inquit ille, ridiculus sum. Quidnam maxime inquā? Quoniam priusquam hinc abirem, cum quouis disputare audebam, neq; aliquo uidebar in differēdo deterior, adeo ut cœtus præstantium uirorum audacter adirem. Nunc autem contrā, fugio quemcunq; eruditum esse intellexi, adeo pudore abducor ob inscitiam. Vtrum igitur inquam euestigio te reliquit illa uis: an paulatim? Paulatim, inquit. Quando uero in te incessit, utrum accidit tibi aliquid à me discenti, an aliter? Dicam ô Socrates rem quidē incredibilem, ueram tamen. Nihil unquam à te ut ipse scis, didici, proficiebam autē quotienscunq; tecum essem, & si in eadem solum domo essem, non tamen in eadem parte domus, magis tamen quotiens eadem in parte. Et mihi quidem uidebar multo magis, quando in eadem parte existens, aliquid te dicentem intuebar, quàm cum aliò essem auersus. Sed lōge magis proficiebam, cum apud te sedens, te tangebam. Nunc autem omnis habitus ille defluxit. Est igitur ô Theages huiusmodi nostra consuetudo. Si enim Deo gratum est, permultū quidem & breui proficies. sin cōtrā, minime. Vide igitur ne tibi tutius sit ab aliquo illorum erudiri, quibus in sua potestate sita est utilitas qua cæteris profunt, q̄ à me fortuna quadam id assequi. THE. Mihi quidem sic faciendum Socrates uidetur, ut consuetudine nostra de dæmonio intelligamus. Quod si nobis annuerit, recte omnia: sin minus, quid agendum sit cōsultabimus tum, alteri ne cuipiam adhæreamus, an hoc diuinum quod tibi insitum est, precibus & sacrificijs & alio quouis deniq; pacto, quo uates iubent, placemus. DEMO. Nihil ad hæc ô Socrates huic adolescenti repugnes, bene enim dicit Theages. SOC. Atqui si uidetur oportere sic agere, sic agamus.

ARGVMENTVM MARSILII IN MENONEM
DE VIRTUTE.



QVATVOR esse argumentationum genera, quibus Plato utitur, exemplum, inductionem, ratiocinationem, & enthymema, & quo pacto fiant, satis in Alcinoi cōpendio, quod & nos traduximus, declaratur. Vbi etiam tres Platoniorum dialogorum species inuenimus, & quibus argumentationib. in unaquaq; dialogi specie uti soleat. Aut enim solum inquirat, falsa ue confutat dialogus, aut solum uera exponit ac docet, aut in utroq; uersatur. Primus inquisitiuus & contentiosus. Expositiuus alter. Postremus mixtus est dictus. Meno autem licet mixtus sit, maiori tamen ex parte contendit & confutat, & omnes argumentationes attingit. Vt nisi qui ex alijs Platonis dialogis, qui ad expositionem magis quàm ad disceptationē pertinet, sensa colligat, & Menoni huic adiciat, difficile summā disputatiōis huius elicere possit. est autem hæc, quid uirtus sit, & quomodo nobis adsit, inquirere. Id Socrates efficit, dum quatuor Menonis, Aristippi, Gorgiæ, et Prodicii de uirtute definitiones cōfutat, & definitionem suam post illas inductā geminis obiectionib. retractat. Veritas quippe ex redargutione falsitatis elucet. Est autem hominis uirtus affectio siue habitus animæ, quo potentia naturalis eius quàm optime suū opus exercet. quæ definitio in libris de Republica traditur. Opus cuiusq; potentiæ tūc optime exercetur, cum ad finem suum dirigitur. Quod ad finem cōfert, utile dicitur. Merito igitur in hac disputatione commune uirtutis officium id esse traditur, ut & actiones & ea quibus agendo utimur, utilia reddat. Illa itaq; definitio huic dialogo consonat, cunctisq; uirtutibus est cōmunis. Virtutum profecto species plures sunt, pro uiriū animæ & actuum diuersitate, in quibus una tamen quæ dicta est communis uirtutis ratio semper inspicitur. Prima uis animæ mens est, cuius actus est perpetua contemplatio ueritatis. Secunda ratio, cuius actus ueritatis inuestigatio. Tertia phantasia, cuius actus collectio eorum quæ sensus eius nuncijs porrigūt, perq; illa discursus. Atq; hæc sunt uires animæ, quæ cognitiuæ dicuntur. Restant tres aliæ, quas appetitiuas uocant: Voluntas, & irascendi uis, & concupiscendi. Voluntatis actus, appetere quæ mens & ratio porrigit. Irascibilis, aggredi quæ ratio & phantasia proponit. Concupiscibilis actus, adsciscere quæ phantasia sensusq; obijciunt. Sex insuper istis duæ subiiciuntur, mouendi & nutriendi uigor, sed hæc cum superioribus, aut nihil, aut uix, & parum admodum in uirtute cōmunicāt. Asfectio

Tria dialogi
officia

Vires ani-
mæ cogniti-
uæ
Vires appe-
titiuæ

Vigores
duo

bfectio